

posterius memoria, nisi fortuna inter chartas tabularii capituli, codicum qui ibi aderant indicem a secretarii praefecto initio saeculi decimi sexti confectum reperissem. Quales vero essent illi codices, qua aetate, cujusve pretii, quid speciatim continerent, ex ejus quem hic adscribo (*) lectione vix cognosci potest; adeo enim oscitanter, ac imperite ibi describuntur, ut mirandum non sit ob hanc incuriam ex custodum manibus ita facile evanuisse. Etenim ex tam diviti codicum suppellectile vix unum, aut alterum volumen ad hac tempora pervenit, nimirum *antiphonarium Gregorianum* saeculo X., vel ad summum XI. conscriptum cum notis musicis, quales circa Guidonis Aretini aetatem usurpabantur, cujus in altero opere specimen aliquod edam, ubi ejus differentias cum editis a Card. Tomasio, ac Muratorio singillatim notabo.

Si quis autem quaerat, quomodo factum sit, ut tot pretiosa litterarum ornamenta amitterentur difficile dictu est. Quis enim inter tot ac tantas saeculorum vicissitudines causam peculiarem ac veram inveniet? Illud novi in decretorum libris sub initio saeculi XV. conscriptis, ac in tabulario civitatis Aquensis asservatis mentionem haberi de quodam libro membranaceo fol. 70. plura civitatis instrumenta continente Jo. Barthol. Sismando civi ab Aquensibus consulibus mutuato: at redditum iis fuisse haud inveni. Deinde quot in celeberrima causa Montisferratensi coram legatis Imperatoris Caroli V. de Marchionatus successione agitata, fuerunt distracta, ac dispersa Marchionum, civitatum, ac Episcoporum documenta? Ex scripturis tabularii Ecclesiae, et civitatis deprehendi quam plurimas ab Episcopis, et civitate productas chartas, quibus ambae hae partes nitebantur ad primaeva sua jura in civitatem, ac Ecclesiae feuda vindicanda, quae devolutionis, ac postliminii jure ad priores veteres dominos redire oportere contendebant. In hac autem diuturna concertatione, quae extra fines imperii Aquensis modo Mediolani modo Januae fuit agitata, quid illarum dispersione, ac amissione facilius contingere poterat?

Ceterum quid angimur ad causas investigandas, cur in tot annorum periodis, quae a duobus et amplius saeculis praeterierunt, tam multa deperdita sint monumenta, cum a Josephi Gatti aetate qui medio hoc saeculo floruit, multa sane evanuerint, quae ipse legerat, ut ego ipse ex collatione cujusdam indicis ab ipso confecti, et a V. C. Carlevaris ejus provinciae olim R. Quaestore dono mihi dati, cum meorum documentorum catalogo detexi. Quoniam vero multum lucis historiae Aquensi vel solus eorum titulus diffundere potest, idcirco operae pretium duxi, ea, quae in hac collectione desunt, ex ejus indice decerpere, et propriis verbis descripta ad finem operis in publicum proferre.

(*) Inventarium Librorum Capituli de an. 1539. Missalia quatuor Caprinae, & 5. Papiri. Breviarium unum Caprinae, & 3. Papiri. Martyrologium unum Caprinae. Librettus unus Caprinae appellatus bulla indulgentiarum Corporis Christi. Librettus unus a baptizando Caprinae, alius a mortuis Caprinae. Ad Altare s. Mariae Magdalenae Legendarii duo Caprinae. Psalterii duo Caprinae. Epistolarium unum Caprinae. Evangelarium unum Caprinae. Manuale unum Caprinae, aliud Papiri. Liber unus Caprinae a cantu. Libri 3. papiri a cantu. Sanctuarium unum Caprinae notatus. Liber magnus Caprinae notatus, pulcher, copertus corio rubeo cum suis ornamentis Lotoni. Liber magnus Caprinae a cantu Missarum fodratus corio nigro. Duo libri magni a cantu cum tabulis albis. Liber albus caprinae notatus. Pontificalis liber caprinae, & alius s. Guidonis. Libri caprinae legati in petiis 30 incirca s. Scripturae, inter quos Biblia magna in duobus petiis, Moralia s. Gregorii in duobus petiis, homeliae ejusdem in aliis duobus petiis. Dialogus, Pastorale erat, sed non reperitur, & alii libri antiqui multi. Quod inventarium traditum fuit Joanni de Scatis.